

mus. Fuit illo tempore quidam hieromonachus, nomine Slmeon, patria Trapezuntius, qui veniens huc Constantinopolim, habitavit in magna Ecclesia: homo maxime utilis, & tanta hospitalitatis laude conspicuus, ut qui hoc genere cum ipso comparari posset, inveniretur nemo. Inde Trapezuntini consilium iniere, illum creandi Patriarcham, vero Patriarcha Marco e Sede abducto. Quod eis eo factu proclivius erat, quod filios habebant *ἐς τὸ παράγιον τῶν ὀυλῶν*, in Palatio (1) Sultani, & alios extra (2) magnis honoribus auctos, quibuscum Patres (3) libere agere poterant, operaque illorum, verba eorum ad Sultanum perferebantur. Tunc ergo Trapezuntini preparationem adhibuerunt, hoc quod dicam facientes. Prehensarunt Ecclesiasticos homines, & magnis donis multisque blanditiis, sibi conciliarunt: ac pactum cum eis inierunt de calumniando Patriarcha, eum improbe gravaminis in Ecclesiam autorem & introductorem extitisse; de Aureis mille, Pescesi (4) nomine, *ἐς τὴν πόρταν τῶν ὀυλῶν*, *Porta Sultani* (5) inferendis. Ideo eum non tantum dignitate summi honoris (5) exuendum esse, verum etiam sicut veteres hæreticos Patriarchas, anathemate feriendum, & exilio multandum; eo quod ad id usque tempus, nemo Patriarcha ullum donum aut pensionem in Sultani Aulam tulisset. Verum, quemadmodum superiorum Patriarcharum, qui accepta per Sultanum urbe federant, nullus ullam pecuniam dederat, sicut supra diximus: ita profecto nec hic Xylocarabes. Facta nihilominus ista injusta contra Patriarcham accu-

Lib. II.

O o o o

, satione

(1) Crusius perperam interpretatur, in castro Sultani. Vox est Turcica, que vulgo *Saray* seu *Sarajum* dicitur.

(2) Græc. *ἔξω εἰς τὴν πόρταν αὐτῆ*, Extra ipsius Portam. Sic ædes Sultanicæ vocantur; *Offis* seu *Porta*, loco *Aule*, sumpto.

(3) *Patres*. Melius: illi, hoc est Trapezuntini cives.

(4) *Pescesi*. Vox Turcica & Arabica *ممن* *Munus* significat, seu *Donum gratuitum*.

(5) Crusius, Pescesi nomine, seu initii Patriarchatus, fisco Sultani inferendis. In textu, nihil de initio Patriarchatus habetur.

(6) Non modo esse deponendum.